



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Caput VIII. De praxi Conciones pro felici auspicio, sive Concionum, sivè novi anni habendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

Age ergo, & quodcumque potest facere manus tua, juxta consilium Ecclesiasticis c. 9. *instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Hoc modo utiliter laborabitis: hoc modo gloriosus finis opera ac labores vestros coronabit.

Epilogus.

Ut ergo tandem in compendium recolligam, quæ de labore fructuosè suscipiendò tam in hac, quam prioribus Concionibus dixi, vidistis, quanta commoda ex laboribus vestris ritè susceptis sperare possitis: Vidistis etiam, quid ad laborum ritè suscipiendum requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, cum gratia DEI habituali & actuali propter DEVM inchoetur: Ut in nomine Domini, id est, cum magna cautela, diligentia & animi in divinam voluntatem resignatione perficiatur: & ut denique in nomine Domini, id est, cum debita gratiarum actione, liberalitate mutua, & salutari ad seipsum reflexione finiatur. Hæc facite, & viveris, id est, in hac vita copiosam benedictionem in temporalibus bonis, & in altera majorem gloriam obtinebitis, dicensque cum Ecclesiastico c. 57. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.*

CAPUT VIII.

De Praxi Conciones pro felici auspicio sive Concionum, sive novi anni habendo.

CVm plerumque, quando Concionator vel officium suum auspiciaturus est, vel etiam pro novi anni principio concionaturus, paulò comprior oratio, rariòrque doctrina ab Auditoribus speretur, ideo ne in hac quoque occasione Ideam, copiamque Conceptuum deesse queratur Novitius Concionator, eisdem hoc capite breviter subjiciemus.

§. I.

Exemplar

Quomodo pro felici Concionum auspicio instituenda sit Concio.

T 5

Thema

Thema.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua.
Eccl. 7.

Scopus.

Instruendi Auditores, quomodo per assiduam dictæ Sententiæ memoriã se ad vitam piẽ ac prudenter instituendam excitare possint.

Syllogismus principalis.

Tria sunt precipua officia boni Christiani, nempe abstinere, sustinere, & agere; Atqui ad hæc tria rectè implenda, vel maxime iuvat citata sententiã assidua memoriã; Ergo meritiò assidua illius memoriã procuranda est.

E X O R D I U M.

Antiqua & laudabilis hætenus fuit consuetudo, ut illi qui novum aliquod Officiũ auspiciaturi erant, pro felici auspicio ijs, cum quibus acturi aut conversaturi erant, vel adiales epulas (ein Einstand-Mahl) instruerent, vel certè munusculum aliquod offerant ad benevolentiam conciliandam. Hunc morem & ego hodie observare decrevi, & quidem, ut spero, tantò majori meorum Auditorum gratiã, solatioque, quantò aptior, efficaciorque erit doctrina, quam illis pro lemni auspicio offerre decrevi, ad totam vitam suam felicitè sanctèque, ut verum Christianum decet, instituendam. Ne itaque diutiùs vestra desideria suspendam, jam nunc me ad opus accingo, firmiter sperans, vos tam hanc, quàm omnes reliquas doctrinas, quas deinceps vobis propositurus sum, tantò majori cum benevolentia attentionèque excepturos, quantò clariùs deprehenderitis, me tam in Concionibus, quàm alijs meis functionibus Pastoralibus nil nisi majorem Dñi gloriam, animarumque vestrarum salutem querere ac desiderare.

Narratio.

Thomas Cantipratanus l. 2. cap. 43. part. 2. & ex ipso Johannes Major in magno Speculo Exemplorum titulo. Sapiencia. memorabilem narrant historiam in hæc verba: Quidam nobilita

nobilis Adolefcens valde sagax ingenio. Regi successit in regno. Accidit, ut in regia civitate nundinis constitutis, Rex cum Sodalibus suis ad inspiciendos Institores & res venales circumiret. Et videns hominem grandævum aetate sedentem in nundinis, quærit, quis sit, & quid venale haberet? Cui ille, dicit, inquit, Philosophus, Sapientiam venalem habeo. Ad hoc gavisus Rex, & subridens bene, inquit, ut Jurvenem constitutum in regimine mihi competit Sapientiam habere: tu autem videas, quantum velis vendere centum marcis. Et Senex: Unum, inquit, tibi pro statuto pretio dicam, quod si bene teneris, optimè per illud regeris, & reges. Temerè nihil loquaris, temerè nihil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Si plus volueris, addas & pretium. Ad hoc igitur omnibus concitatis in risum, Rex considerantiùs verbi pondus advertit, & Philosopho statim pretium promissum solvi imperavit. Verbum autem, quod acceperat, in Superliminibus palatij, & in mensis, & in scyphis aureis, & manutergiis scribi fecit. Successu temporis Rex in Sapientia & virtute proficiens instituit fortiùs animum, eripere populum humilem de manu potentium, qui à Nobilibus terræ graviter premebatur, & regnum suum in omni justitia gubernare. Pro quo Nobiles sui in seditionem versi, cum nequaquam manifestè propter favorem Populi contra eum auderent aliquid attentare, occultè quendam Rasorem pretio conduxerunt, ut Regem in conclavi radendum novaculâ trucidaret. Ergo ubi Rex humectatâ barbâ se radendum exhibuit, dictus Rasor in manutergio, quod erat circa collum Regis, Scriptum legit: Temerè nil attentes, nisi prius cogites, quid sequatur. Et super proposito scelere pavefactus expalluit, & manum tremulam mox retraxit. Quo viso Rex causam exegit, nec sine causa eventum considerans, dissimulantem Rasorem, quasi hoc sibi ex infirmitate contigisset, extendit ad poenam, & rei veritatem tormentis extorsit. Sic Rex liberatus à morte verè didicit, quia melior est Sapientia cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Hucusque Canticpratanus. Atque hæc est doctrina, quam ego quoque vobis hodie pro felici auspicio mearum Concionum cum singulari benevolentia oblatam volo, quam si bene memoriæ vestræ impresseritis, & observare studueritis, promitto, certo,

to, certissimò futurum, ut non vos ipsos tantum, sed alios etiam felicissimè regatis. Ut verò ejusdem praxin tantò faciliùs cognoscatis; jam nunc breviter ostendam, in quibus præcipuè occasionibus ejusdem memoriam refricare debeatis. Ajo itaque in tribus maximè occasionibus eam ob oculos habendam; in ijs nempe functionibus, quibus tota perfectio hominis Christiani continetur, & plerumque ab Ascetis, per has tres voces, *Abstinere, & Sustinere, & Agere* exprimuntur.

Confirmatio.

Primò itaque ajo ob oculos habendam, quoties occasio abstinendi est, seu, ut clariùs dicam, quoties ad peccatum aliquod committendum à Concupiscentia inordinata vos impelli advertitis. Tunc enim vel maximè oportet quemque sibi ipsi dicere: Temerè nihil atentes, priusquam consideres, quid sequatur. Ita sanè jam pridem DEUS ipse per Simeonem cap. 7. suavitè dicens: *In omnibus operibus tuis manere novissima tua, & in aeternum non peccabis.* Et revera sic est; qui enim amarus fructus & operationes peccati diligenter præmeditatur, nunquam sanè in peccatum consentiet, sed potius dicet cum Philosopho illo: Tanti peccare non emo. Ad hoc magis confirmandum peropportunè mihi à memoriâ venit, quod aliquando Regina quæpiam, Fencella nomine, consilium suscepit. Hæc quippe, cum fatale adversus Maritum suum Kemetum, odium concepisset, tandem sequenti modo eum è medio tollere statuit. Pomum apparari jussit aspectu amœnissimum, sed sagittis refertum, & arte singulari ita confectum, ut, si in certo loco tangeretur, omnes sagittæ uno impetu in tangentem erumperent. Hoc ergo cum quondam summâ cum humanitate, &, uti ipsa simulabat, in singularis amoris argumentum Kemeto obtulisset, ipse incautis avidisque manibus id arripens, subito ab erumpentibus telis miserrimè peremptus est. Hic jam vos interrogo, Auditores, si Kemetus iste prævidisset, quod sagittæ sub pomo isto laterent, an eundem illud arrepturum fuisse putatis? minimè profectò. Atqui simile pomum est voluptas illicita, quæ vobis à Mundo, Carne, aut Diabolo offertur. Apparet sanè & illud speciosum & amabile, beatòsque se putant illi, quibus illud offertur; sed si interiora ipsius, exitumque

que consideraveris, acutissimis, atque æternum interitum afferentibus sagittis est plenum. An non acutissima sagitta est offensa summi ac supremi Domini? an non acutissima sagitta est iactura inæstimabilis gratiæ divinæ & vitæ æternæ? an non sagitta summè venenata est æterna illa & inexplicabilis pœna corporis & animæ, quæ per peccatum incurritur? an non terribilis & horrenda sagitta est stimulus & vermis conscientiæ, quo anima in hac & altera vita miserè transfigitur, & lancinatur? atqui hæc omnes & plures aliæ crudeles sagittæ ex pomi hujus, seu voluptatis illicitæ tactu incauto erumpunt, uti jam pridem damno suo expertus, & postea miserabiliter lamentatus est Psalmista Ps. 37. dum dixit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me, quoniam sagitta tue infixæ sunt mihi.* Clarum hujus rei exemplum etiam in primis nostris Parentibus habemus; quibus utriusque amœnum ejusmodi suavèque pomum à tartareo serpente oblatum est, sed quem attactus illius exitum habuerit, hos, proh dolor, testantur innumeræ sagittæ, & damna, quæ non tantum in ipsos primos Parentes, sed omnes etiam eorum Posterost eruperunt. Quare alieno saltem, ô dilecti, damno sapiamus, & cautiore efficiamur, & quoties ejusmodi pomum illicitæ voluptatis à Mundo, aut Carne, aut Diabolo offertur, eidem illa Christi ad S. Mariam Magdalenam dicta verba inscripta credamus: *Noli me tangere, prius, quam præmeditatus fueris, quem exitum sit hic tactus habiturus.* Et sic certò futurum confido, ut in nullum unquam peccatum consentiatis.

Altera occasio in sustinendo, seu tolerandis adversitatibus se offert; ubi vel maximè iterum occinere nobis debemus: Temerè nihil attententes, priusquam consideres, quid sequatur; nam quæ alia causa est, cur in adversis casibus tam pusillanimes & impatientes simus; nisi quia non perpendimus, quem exitum tribulationes tali modo perpessæ sint habituræ? Hic itaque memores esse deberemus, quod Germani nostri communi proverbio suo nos monuerunt: *Wäg/ehe du wagst: ßinn/ehe du sagst: damit du nicht Neu tragst.* Hic ex una parte ponderare deberemus, quem exitum impatientia nostra sit habitura, & nos ipsos sic alloqui: quid, quæso, reporto, si tribulationem talem indignabundo & impatienti

animæ

animo supporta vero? quid aliud reporto, quàm quòd gravis mihi accidat hæc tribulatio, utpote animo repugnante acceptata? ut gravissimam mihi in hac & altera vita pœnam accersam? ut jacturam faciam inæstimabilis meriti ac gloriæ, quam per patientiam comparare potuissem? E contrario verò, quàm magnum, multiplicémque fructum refeto, si æquo & hilari animo eandem supportem? an non levior mihi, tum per æquanimitatem & resignationem, tum per spem inæstimabilis præmij tribulatio evadet? an non per patientiam talem pœna gravissima, quam tum in hac vita, tum in altera sustinere debuissém, Majori ex parte, si non tota remittitur, sicque hîc uno quasi obolo solvo, quod ibi innumeris talentis solvere debuissém? an non inæstimabile illud præmium promereor, de quo S. Paulus 2. Cor. 4. locutus est dicens: *Id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*? an non ergo meritò illa Discipulorum Christi verba impropere, dicòque: Ut quid perditio ista? poterat enim æquivalentium hoc (aut hæc tribulatio) venundari multo, & dari pauperibus, id est, animabus purgantibus aut pauperi animæ meæ transferri? En ergo, dilecti, unde ventis, quòd tribulationes tam amaro & invito animo suscipiamus, quia scilicet in ijs ad præsentem tantùm difficultatem, non autem ad secuturum fructum & præmium oculos reflectimus. Atque ut hanc doctrinam, quæ tantoperè necessaria & salutaris est, meliùs percipiatis, aptissima similitudine à P. Balbino Soc. JESU Sacerdote olim similem in finem proposita declaro. Fingamus, dicebat ille, grandinem super agrum Rustici non admodum divitis cecidisse, omnèque illi frumentum destruxisse; quid, quæso, dicturum aut acturum putatis hunc Rusticum, si nuntius illi talis adferretur? an non summo cum dolore illum excepturum creditis? an non magnopere suam infelicitatem deploraturum? Si verò paulò post alius superveniret, qui nuntiaret, lapides, quibus frumentum destructum est, ex mero argento aut auro confectos, aut meras uniones esse, an non tunc summè iterum hoc nuntio recreandum existimatis? an non felicem se prædicaturum quòd per suum potiùs, quàm alterius agrum grandis cecidisset? an non singulares DEO pro hoc beneficio gratias acturum?

rum? cur, quæso, hanc eandem jacturam tam læto & quieto animo excipit, quam prius tanto cum dolore & tristitia intellexerat? nimirum, quia jam non ad damnum, sed ad lucrem inde sibi exortum oculos mentemque reflectit: quia, quem exitum tribulationes sint habituræ, consideravit. Ita sanè suas adversitates aspexit patientissimus Job, atque adeò tam alacri & resignato animo excepit. Simili ergo modo & nos deinceps nostras tribulationes consideremus, & notum illud effatum: Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat: aut illud S. Pauli Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis: semper in animo habeamus, & haud dubiè tribulationes nostras non æquiori duntaxat animo, sed etiam cum lætitia supportabimus, dicemúsque cum S. Paulo: Repletus sum consolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. ad Cor. 7.

Tertia tandem occasio in actionibus nostris quotidianis se offert. Hic vobis ab initio imaginemini hominem, qui vix semel in die mentem ad DEUM elevet, vix semel in hebdomada Missam, & quidem exigua cum devotione audiat, reliquum verò tempus, otio, lusu, conviviis, somno, aliisque recreationibus consumat, an existimatis, hunc talem vitam acturum, si exitum illius animo suo accuratè aliquando perpenderet? minimè profectò! Ita Rolandus nobilis Adolescentens exemplo suo docuit, qui, cum aliquando totam diem in summis deliciis exegisset, sicque epulis & vino gravatus in lectum abijisset, seipsum ibi sic allocutus fertur: Dic, quæso, Rolande, quid tibi ex universis deliciis, quibus hodie tam jucundè fructus es, relictum est? an non fateri debes cum Salomone Eccles. 2. Et vidi in his omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole? Quid autem habebis, si non unum diem, sed totam vitam simili modo transigas? an non ergo præstat abstinere ab ejusmodi deliciis, quam caro adeò pœnitentiæ acerbæ pretio easdem mercari? sic seipsum allocutus est Rolandus, tantùmque profuit hæc adhortatio, ut mox, ubi dies illuxit, Mundo nuntium remittens, religiosum statum fuerit amplexus. En quid proficit, in actionibus etiam suis exitum considerare. Sed quia dicit fortasse aliquis: hæc nihil ad me, quia non in deliciis vivere soleo, sed totos dies in labore servitioque alijs præstando, aut

panc

panem pro me Domesticis que lucrando consumere cogas, im-
 ginemur nobis & talem hominem, qui dicto modo in octo
 hebdomadas, menses, & annos consumat, sed tamen hoc la-
 bores solius necessitatis aut lucri temporalis causa, non au-
 tem propter DEUM, ejusque gloriam suscipiat, quem putat
 hujus hominis labores exitum habituros? an non dicitur
 creditis cum Apostolis Luc. 5. *Præceptor per totam noctem (h-
 vitam) laborantes nihil cepimus? Eveniet nimirum talibus*
 quod quondam Famulo cuidam evenisse scribitur, qui, cum
 multis annis summa cum fidelitate Domino suo servisset, &
 tandem in gravem morbum lapsus rogasset Dominum suum
 ut vel unâ horâ eum à morbo liberaret, Dominus autem re-
 spondisset, hoc in sua potestate non esse, cum magno ejus
 exclamavit: Heu me infelicem, quòd tot annis servierim
 si Domino, qui me nec per horam à morte aut morbo liberare
 potest, & non potius illi servitium fidele præstiterim, qui
 temporali ac æterna morte liberare, perpetuamque felicita-
 tem largiri potest. Ne ergo simili modo, vos quoque vobis
 queramini, quòd solùm pro corpore vestro liberis que alienis
 tot labores susceperitis, & non potius DEO eandem per legi-
 timam intentionem consecraveritis, vel nunc alieno dam-
 nandæ crudiri operam date, ut non solùm semper in gratie
 constituti sitis (sine quo opera vestra non possunt DEO gra-
 ta, vobisque meritoria esse) sed insuper eadem opera ac la-
 bores vestros DEO per legitimam intentionem consecrati
 eumque in finem illud Operarij cujusdam Epitaphium in me-
 moria semper retineatis.

Steh still/ O Mensch / dich Grab schau an/
 Es ligt darinn ein Handwercksmann /
 Er hat gearbeit Tag vnd Nacht /
 Aber wenig darvon gebracht.
 Allein was er hat guts gethan /
 Ist ihm bliben für sein Lohn.
 Auch du dein Arbeit Gott verkauff /
 Er schlägt zum allermeisten drauff.

Perpendite præterea, quanto opere Opifici aut alteri Operarij
 doceat, si, postquam opus aliquod magno cum labore & dili-
 gentia absolvit, merces ei sperata negetur, frustra quoque
 se la-

se laborasse advertat, & inde colligite, quantum olim dolorem & tristitiam vos concepturi essetis, si totâ aut certè potiori parte vitæ vestræ vos frustra laborasse olim aspiceretis.

Epilogus.

Et hæc modò est doctrina, quam pro felici concionum mearum auspicio offerre vobis volui, certò promittens, quòd, quòd diligentius eam observaveritis, tantò melius & vos ipsos, & alios vobis commissos rectori sitis. Hæc doctrina fundamentum est, cui tota vestra salus, felicitas, & profectus inniti debet. Hæc doctrina breve compendium est omnium doctrinarum, quas deinceps vobis propositurus sum. Nam id unice in omnibus meis concionibus deinceps laborabo, & persuadere conabor, ut peccata, & quidquid Christianum non bene decet, studiosè deviteris: & illa opera ac virtutes, quas Dominus DEUS, & S. Mater Ecclesia à vobis requirunt, pari studio ac fervore exerceatis: & omnes denique adversitates ac tribulationes, sine quibus nemo potest introire in regnum DEI, magna cum patientia & Christiana fortitudine supporteris. De hac doctrina proin, quam, uti singulari benevolentia, Zelòque vobis offero, ita simili affectu à vobis acceptatum iri confido, deinceps vobis illa pij Ascetæ verba l. 3. c. 3. dicta putatote: *Audi, Fili mi, verba mea, verba suavissima, omnem Philosophorum & Sapientium huius Mundi scientiam excedentia. Verba mea Spiritus & Vita sunt, nec humana sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, & cum omni humilitate atque magno affectu suscipienda. Scribe itaque ea in corde tuo, & pertracta diligenter; erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Quod non intelligis, cum audis, cognosces in die visitationis, cum nempe variis tribulationibus ad honorem nominis mei, & tuam salutem exerceri te permiserò. Claudio itaque concionem verbis, quibus eam incepi; In omnibus operibus tuis memorare novissima, id est, exitum eorum, & in æternum non peccabis, quin potiùs te & alios tam prudenter & feliciter reges, ut dignus efficiaris aliquando æternum, felicissimumque Cælorum regnum cum omnibus Sanctis possidere, quod nobis omnibus per merita Christi Filii concedat Pater*

æternus, cui cum eodem Filio & Spiritu Sancto sit omnis honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Luc. 11. potest inprimis Concionator narrare historiam de Servo Abrahami missio ad Uxoræ Filio quærendam, & ubi Rebëccam reperit, in aures precipientem, atque in signum desponsationis donantem. Gen. 24. Unde dicere potest, se quoque missum ad animas, DEO per amorem desponsandas, ac proinde in signum hujus desponsationis duas in aures donaturum, dextram & sinistram, ut intelligant, se non tantum quando animantur, instruuntur, & recreantur, paratos esse debere ad verbum DEI audiendum, sed etiam quando corripuntur & castigantur, & idem has aures aureas esse, eò quòd non minùs castigatio, quàm consolatio ex vera charitate Zelòque procedat. Ostendatur deinde, quomodo fructuosè audire verbum DEI debeant, scilicet ardentè, attentè, & devotè, id est, cum prompta voluntate, propositoque efficaci exequendi id, quod auditum est. Denique pariter demonstratur, quomodo anima per verbum DEI ritè auditum despondeatur DEO, dum scilicet ad amorem illius excitatur, & per hunc DEI Sponsa efficitur, cuius arctissimè conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Date illis vos manducate.* Matth. 14. dicere potest Concionator, se & alios Concionatores esse quasi Patresfamilias (*Kost-Herren*) à DEO constitutos, ut cibum Animæ, nempe verbum DEI, eisdem præparent, ac porrigant. Hinc 1. ostendat, quanto opere nutrire, satiare, roborare, impinguet, & recreet hic cibus animam, quæ omnia facillè possunt tum exemplis, tum autoritatibus SS. Patrum probari. Deinde ostendatur, quòd debeant ipsi assumere proprietates Convictorum, & 1. diligenter comparere apud mensam seu concionem. 2. præmittere orationem. 3. Appetitum afferre. 4. Non herbas duntaxat & condimenta, sed ipsam etiam substantiam assumere. 5. Bene concoquere, id est, ruminari, sibi que applicare, non alienè. 6. Solvere suo tempore pretium debitum, id est, gratum

Patrifamilias exhibere, tum pro eo precando, tum doctrinas ab eo datas sedulò exequendo.

III. Ex occasione thematis: *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo.* Jac. 1. potest Auditoribus pro felici auspicio speculum offerre, ut significet, Auditores ad verbum DEI velut speculum accedere debere. Ostendatur itaque 1. quàm bene verbum DEI speculo compareretur, tum quia constat duabus partibus, *obscuritate* in se, velut plumbo; & *claritate* explicationis velut nitido chrystallo: tum quia se omnibus accommodat ut speculum: tum quia & turpitudinem æquè ac pulchritudinem suam cui ostendit, quæ omnia facilè auctoritate Scripturæ & SS. Patrum ac varijs exemplis probari possunt. 2. Ostendatur, quomodo fructum ex hoc speculo reportare debeant, nempe non tantùm curiositatis gratiã, aut ad aliorum faciem cognoscendam id usurpando, sed ad proprios mores vitãque ordinandam, & corrigendam adhibendo, quod itidem varijs exemplis declarari potest.

IV. Ex occasione thematis: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo?* Job. 19. potest Concionator pro felici auspicio Auditoribus Palimpsestum seu Pugillar (ein Schreib-Tafel) offerre, simulque ostendere, quid, quã ratione, & cur in eo scribendum sit, quem in finem totum ferè caput 3. l. 3. libelli de imitatione Christi serviet. Dicat 1. quid scribere debeant, & alloquatur illos ijs cit. lib. verbis: *Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter; erunt enim in tempore tentationis valde necessaria. Dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet & consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego: unam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa.* 2. Ostendat, quomodo ea scribere debeant, nempe eo modo, quo idem libellus indicat dicens: *Verba mea Spiritus & vita sunt, nec humano sensu pensanda. Non sunt ad vanam complacentiam trahenda, sed in silentio audienda, & cum omni humilitate atque magno affectu suscipienda.* 3. Declaret, cur sint audienda, nempe ob dignitatem (per illa verba indicatam: *Audi, Fili, verba mea, verba suavissima, omnium Philosophorum & Sapientum huius Mundi scientiam excedentia*) necessitatem indicatam (per illa verba: *Verba mea*

mea Spiritus & vita sunt: inuincitatem) inuincitatem (quæ
 verba suavissima, de quibus Sponsus Cant. 2. dixit: *Sonus
 vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Et S. David Ps.
 18. *Eloquia tua super mel & favum.*) Unde pro clausula
 cat huic Palimpsesto in una facie operculi inscripta esse ex
 tato libello hæc verba: *Beatus, quem tu erudisti, Dominus,
 de lege tua docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis, & non
 soletur in terra.* In altera verò facie hæc esse scripta: *Qui
 habet verba mea, & spernit ea, habet, qui iudices eum in
 ultimo die.* Porro dicat, hunc palimpsestum duo habere dis
 taxat folia propter duplicem lectionem, unum pro increpa
 tione vitiorum, alterum pro exhortatione ad virtutem. Do
 nique stylum ferreum, quo scribatur, esse serium propitium
 proficiendi & attentam ac constantem auditionem concio
 nis, quo bene scribenda sunt verba, ut legi possint (non olli
 tanter audiendo & dormiendo; tales enim vitiose, aut nihil
 omnino scribunt) nec delenda per madidam spongiam (id
 est, vanas delectationes) sed suo tempore inspicienda & re
 legenda, id est, in memoriam revocanda.

V. Ex occasione thematis: *Qui habet sermonem meum,
 loquatur sermonem meum verè. quid paleis ad triticum?* dicit
 Dominus. Jer. 23. potest Concionator pro felici auspicio
 brum offerre Auditoribus, diceréque, quid, & quomodo cri
 brare debeant. 1. Ergo dicat eos Verbum DEI velut tri
 cum cribrare debere; ostendátque, quàm convenienter Ver
 bum DEI tritico comparetur, imprimis quia ut triticum est
 optimum inter frumenta, ita Verbum DEI optimum inter
 verba, quia scilicet ab ipsa æterna Sapientia dictatum: De
 inde quia sicut triticum est purissimum & candidissimum; sic
 Verbum DEI quoque purissimum est, seu ab omni falsitate
 remotissimum: sicut item triticum est cibus Nobiliorum Per
 sonarum, ita Verbum DEI cibus Electorum est iuxta illud
 Christi effatum: *Qui habet Verba mea, & servat ea, ille
 diligit me.* Quæ omnia breviter complexus est S. Basiliscus
 vit. solit. sic loquens: *Omnis panis nutrimentum affert ad
 salutem, agris autem sepe inutilis; sic & omnis scriptura
 DEO est, ac admodum fructuosa, nihilque per se immundum
 que impurum retinet aut prabet, nisi ei, qui illud puraverit
 immundum.* 2. Ostendat, quomodo hoc triticum cribrare
 debeat.

debeant, scilicet à paleis separando, quod facient, si non ad verborum qualitatem, nec ad gestus, aut vitia vitamque Concionatoris, nec ad historias tantum aut fabulas, quæ subinde delectationis gratiâ insperguntur, attendant, sed ad ipsam doctrinæ propositæ substantiam, eamque in granarium memoriæ & pectoris recondant ad exemplum B. Virginis, quæ conservabat omnia verba in corde suo.

VI. Ex occasione thematis: *Accipe sanctum gladium munus à DEO, in quo deicies omnes Adversarios Populi mei Israel.* 2. Mach. 15. potest Concionator dicere, cum Militia sit vita hominis super terram, teste Jobo, ideoque Christus ipse Matth. 10. dixerit, se non venisse pacem mittere, sed gladium, se optimum gladium Auditoribus oblaturum, illum nempe, quem S. Paulus Eph. 6. suavitatis dicens: *Galeam salutis assume, & gladium Spiritus, quod est Verbum DEI.* Et iterum Hebr. 4. *Vivus est enim sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ostendatur ergo 1. quomodo gladius iste Sanctus sit, tum quia à DEO sanctitatis fonte ortum sumit; tum quia verè Sanctos facit. Quomodo item sit munus à DEO, cum omne donum & darum optimum defursum descendat: Quomodo sit *anceps* absterrendo à vitijs, & impellendo ad virtutes Christiano homine dignas. Quomodo sit *efficax* juxta illud Davidis Ps. 45. *Dedit vocem suam, & mota est terra:* Et ex prædicatione Christi & Apostolorum abundantius patet. Quomodo *penetrabilior* sit omni alio gladio, utpote pertingens usque ad divisionem animæ, ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, ut veriùs de illo, quàm de gladio Goliathi dicatur: *Non est alter similis huic.* 2. Ostendatur, quomodo hoc gladio uti debeant, nempe eum stringendo, hostique opponendo, juxta exemplum Christi, qui singulas Dæmonis tentationes sententiâ S. Scripturæ objectâ elisit. Demonstratur proin practicè, quomodo id ipsum quoque Auditores facere debeant.

VII. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines aptate vestras lampades.* Vel: *Prudentes autem ornaverunt lampades suas.* Matth. 25. potest Concionator pro felici auspicio *Igniarium* (ein Feuerzeug) offerre. Et 1. quidem ostendere, quantopere necessarius sit ignis amoris divini, ut lampades præparatas ac ardentis habeamus, & ad cælestes Nuptias ad-

mittamur, quem in finem tota Parabola de Virginibus prudentibus & fatuis recenseri potest. 2. Dicat, se ideo à Christo missum, ut ignem hunc accendat in eorum cordibus, id est que cum eodem Christo jure merito dicere; *Ignem veni mittere in terram (& corda vestra) & quid volo, nisi ut accendantur?* Luc. 12. 3. Dicat, se ad hunc finem igniarium offerre, ut sciant, quomodo hunc ignem accendere debeant. Sicut enim ad ignem excitandum tria requiruntur, chalybs seu ferrum percutiens, lapis percussus, & fomentum excipiens ignem, ita ad ignem amoris divini exsuscitandum requiruntur Verbum DEI velut lapis ignitus juxta illud Luc. 22. *Nonne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via?* explicatio & meditatio affricans lapidem, & ignem eliciens juxta illud Psalmistæ Ps. 38. *In meditatione mea exardescit ignis;* Et cor bene exiccatum à delectationibus terrenis, ut dicere possit cum Davide Ps. 107. *Paratum cor meum, DEVS, paratum cor meum.*

VIII. Ex occasione thematis: *Mandatum lucerna est lex lux.* Prov. 6. potest Concionator pro felici auspicio lucernam parvulam & portatilem Auditoribus offerre. Et 1. quidem ostendere, quàm convenienter Verbum DEI Luci comparetur, tum quia illuminat juxta illud Psalmi 18. *Præcepit Domini lucidum illuminans oculos;* tum quia accendit, & calefacit juxta illud Luc. 22. *nonne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via?* tum quia exiccatur & purificatur juxta illud Act. 15. *Qui novit corda DEVS, testimonium perhibens, dans illis Spiritum sanctum, & fide purificans corda eorum.* 2. Ostendat, quantopere Diabolus huic luci insidietur, eamque extinguere conetur, sciens sine fide impossibile esse placere DEO. Eum in finem dicat, se lucernulam offerre, nempe *custodiam Verbi DEI auditi*, quæ quidè custodia quatuor requirit partes juxta quatuor latera lucernæ, nimirum 1. *assuetudinem auditionem* juxta exemplum Samuelis 1. Reg. 3. dicentis: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* 2. *Accuratam meditationem* juxta exemplum Davipis Ps. 118. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.* 3. *Crebram recordationem* juxta monitum DEI. Josuæ 1. *Non recedat volumen legis in ore tuo, sed mediteris in eo diebus & noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, & tunc diriges viam tuam.*

Et intelliges eam. 4. Sedulam praxin seu executionem, quia teste S. Paulo Rom. 2. Non auditores legis iusti sunt apud DEUM, sed factores legis iustificabuntur; & hæc quatuor custodiæ velut fenestellæ arcant quatuor ventos seu conatus Dæmonis, quibus hunc ignem extinguere conatur, efficiendo scilicet, ut Verbum DEI non audiat attentè, vel non ponderetur, vel oblivioni datur, vel executioni non mandetur.

§. II.

Quomodo pro felici anni novi auspicio habenda sit concio.

Thema.

Et vocatum est nomen ejus JESUS. Matth. 1.

Scopus.

Docendi Auditores, quomodo quisque secundum suum statum vivere, & quid in eo maximè observare debeat.

Nota, hic Syllogismum principalem præmitti non posse, eò quòd multiplex valde doctrina, eaque prorsus disparata proponatur, nisi velis hunc generalem valde Syllogismum præmittere: Tunc SS. JESU nomen magni meritò faciendum est, quando salutare admodum per ejus literas doctrinæ omnibus statibus suggerentur; atqui verum est antecedens, ergo & consequens.

EXORDIUM.

Communis quidem apud nos Germanos consuetudo est, ut hoc die felicem quisque amico suo novum annum apprecetur: sed hæc apprecatio plerumque in nudis verbis consistit; pauci quippe sunt, qui medium offerant ad talem annum feliciter transigendum. Ego itaque meliùs observabo hunc morem; neque enim annum tantùm felicissimum, omnique bonorum genere refertissimum omnibus & singulis ex intimis præcordiis apprecor, sed talem etiam strenam offeram, quam si benevolè susceperint, & ut ostendam, usurpaverint, certissimo hunc annum felicissimum sunt experturi. Est autem

tem hæc strena non alia, quam SS. nomen JESU, quod hoc dieo die recens nato Infantulo ac Servatori nostro impo-
 tum est; quod totum sic omnibus offero, ut tamen singula
 statibus non nisi singulas literas ex eodem sim oblatum.
 Quid autem hæc literæ sibi velint, & quàm salutes doctrinas
 contineant, jam nunc fustis explicare aggredior, sperans
 tantò majorem à vobis attentionem, quanto majorem ex hoc
 xenio & doctrinis fructum potestis expectare.

Narratio.

Dixerat quidem olim S. Paulus 2. Cor. 3. literam occide-
 re, Spiritum verò vivificare, sed ut hoc dictum in aliis ma-
 teriis verum sit, in SS. certè JESU nomine locum non habere
 videtur, utpote de quo cum veritate dici potest, quod etiam
 literæ singulæ, quibus scribitur & depingitur, vivificant &
 singulares doctrinas contineant. Scimus namque tribus
 ordinariè literis majoribus, IHS, crucèque super mediam li-
 teram statuta, depingi, quæ singulæ diversis tribus homi-
 num statibus, qui in Republica reperiuntur, videlicet Cleri-
 cis, Conjugatis, & Cælitibus per appositè conveniunt, & qui
 quisque specialiter observare debeat, pulcherrimè ostendunt.

Confirmationis Pars Prima.

Et primò quidem I litera, quam Clericali Statui offero
 percommode ostendit, tria capita seu documenta, quæ quis-
 vis Clericus diligenter notare & observare debet.

Nam 1. sicut litera I est perfectissima ex omnibus (quæ
 est simplicissima, rectissima, vocalis & consonantis vicem ob-
 biens, & interdum integræ vocis significationem continet,
 ut mox videbimus, habet item figuram columnæ, atque adeo
 Fortitudinis est Symbolum) ita Clericorum quoque Status
 est omnium perfectissimus, ut pulchrè indicavit Cassiodorus
 dum dixit: *Sacerdos DEI altissimi si Altitudinem cali contem-
 pleris, altior es: Si Angelorum discretionem, discretior es: Si
 omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: Selo Creato-
 re tuo inferior es.* In specie verò descendendo, & singulas
 literas perfectiones considerando, *rectissimus* in primis est Sta-
 tus iste, quia tantam vitæ rectitudinem requirit, ut quædam
 Cleri-

Clericus jure merito cum Christo dicere possit: *Quis arguet me de peccato?* ne, dum alios curare satagit, ipsemet audire cogatur tritum illud: *Medice, cura te ipsum.* Præterea *simplicissimus* etiam hic status est, quia ut ipsum Clerici nomen, quod idem ac *Sors DEI* significat, innuit, omnem suam spem desiderium, ac voluptatem in Solo DEO collocare debet, dicereque proin cum S. Davide Ps. 72 mihi autem adhaerere DEO meo bonum est, & ponere in Domino DEO spem meam (& gaudium meum. Et tandem *firmissimus* est instar columnæ aut in pis in medio Mari hujus mundi posita, ut quæ nec fulmine ininarum, nec flumine voluptatum, nec flumine promissionum & blanditiarum se à rectitudine sua moveri, & corrumpi sinit.

2. Sicut I. litera est vocalis simul & consonans, atque adeo non solum ipsa per se Syllabam facit & pronuntiari potest; Sed etiam literas alias per suam conjunctionem ad Syllabam efficiendam juvat; ita Clericus non ad suam duntaxat, sed Proximi etiam salutem procurandam vocatus est; atque adeo, ut huic suo muneri probè satisficiat, merito **JESUM**, qui hodierna die nomen & officium Salvatoris suscipit, pro Magistro & exemplari habere debet; ab hoc discere debet, quanti oves suas æstimare debeat, nempe ut sanguinem etiam pro eis fundere non dubitet: ab hoc discere debet, quantum pro aliena salute laborare; quanta caritate, mansuetudine, & prudentia Oves sibi commissas fovere, instruere, corrigere, & à periculis liberare debeat. Quod ut alacrius faciat, meminerit, quòd, sicut litera I quando Consonantis vicem obit, paulò longius scribitur hoc modo (**JESUS**) ita ipse quoque, dum aliorum salutem curat, non modò nihil de perfectione propria perdat (nisi sponte damnum tale sibi accersat) sed plurimum potiùs lucrari, crescereque in Sanctitate, merito, & solatio possit, cum officium hoc, sicut, teste S. Dionysio, est *omnium divinorum divinissimum*, ita majus quoque jure merito præmium, solatiùmque à DEO expectet.

3. Denique, sicut litera I interdum integrum verbum est, idem significans ac *Vade*; ita Clerici per hoc monentur, quæ media adhibere debeant, ut officio suo bene fungantur; quòd nempe in primis exemplo præire, & in hoc Christum

imitari debeant, qui suos in Galilæam, id est, morum conversionem ducturus dixit: Ego præcedam vos in Galilæam, id est, eoque & in vita caput facere & docere. Nimirum Clericus & Animarum Pastor Virgis à Jacobo Patriarcha in Cana positus similis est; hinc qualis ipse colores morèsque habuerit, tales etiam ipsius oves assument. Hinc merito illa memorati Jacobi verba ad Esau Fratrem dicta erga Pastorem suum usurpant; *Præcedat Dominus meus ante servum suum. Et ego sequar paulatim vestigia eius, prout videro parvulus meus posse.* Gen. 33. Atque hæc videlicet causa est, cur tam parvi fructus nonnunquam ex Concionibus, aliisque functionibus Pastorum referatur, quia plerisque illud S. Hieronymi obijci potest: *Delicatus Magister est, qui pleno ventre de ieiunio disputat; Accusare avaritiam etiam latro potest; Sacerdos Christi os, mens, manusque concordant.* Promptitudo, quam in functionibus officij sui præferre debet Sacerdos; quatenus re meminisse juvabit, quod de S. Francisco Xaverio insigni illo Operario in vinea Domini scribitur, quod scilicet tam promptus, ad omnem Superiorum nutum fuerit, ut vel sola litera I à S. Ignatio literis inserta sufficiens futura fuisset, ut ex remotissimis Indiis, abjecta omni spe amplissimi fructus, Romam se collaturus fuisset. Pulcherrimum quoque hujus promptitudinis exemplum in ipso Christo habemus, qui vocatus ad ægrum sine hæsitacione respondit: *Veniam & curabo eum.* Simili ergo modo Clericus Pastor ad ægrum vocatus, celeriter accurret, dicatque: *veniam & providebo illum; ad captivum vocatus. veniam, & solabor illum; ad confessiones vocatus: veniam, & audiam illum, & sic de reliquis functionibus discurrendo.* Hic vel maxime observandum est Salomonis monitum Prov. 3. *datum: Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi, cum postea statim dare.* Hic locum habet vulgare illud adagium: *qui cito dat, bis dat.* Hic etiam, quod de Ducibus plerumque dicitur, quadrat, quod scilicet omnis illorum ars & vigor seu felicitas in *velocitate* sit posita.

Confirmationis Pars Secunda.

2. Literam H Conjugibus offero, utpote quæ pari ratione pulchrè illis ostendit, quid in statu suo Matrimoniali ob-

servare debeant nam 1. conjugit duas lineas rectis per mediam, cui Christus Crucifixus insistit, ut discant Conjuges rectam in Matrimonio ineundo aut continuando intentionem habere, quod fiet, si bene prius deliberent, num DEI voluntas sit, ut hunc statum incant. Deinde bene deliberent, quem consortem eligere debeant, ideòque dicent cum Apostolis Act. 1. Tu, Domine, qui corda nostri omnium, ostende, quem, ausquam elegeris; nam, teste Salomone Prov. 19. *domus & divitià à Parentibus, à Domino autem uxor prudens.* Quia verò DEUS nostram cooperationem requirit, ideo prius conditiones boni viri vel mulieris indagandæ sunt, illæ maximè, quas Christus in sponsa sua consideravit, dum, teste S. Paulo Eph. 5. *elegit sibi sponsam non habentem maculam (vicioforum habituum) neque rugam (malæ famæ) neque aliquid huiusmodi (puta quod Matrimonium fastidiosum facere posset) sed ut sit Sancta & immaculata.* Qui talem considerationem committunt, aut ad solam pulchritudinem aut divitias attendunt, ij quasi in tenebris copulantur, atque adeò mirari non debent, si lippientem Liam pro amabili Rachele reperiant. Huc etiam pertinet, ut bonam intentionem præmittant ipsi copulationi, memores exempli à Tobia dati, qui c. 8. dixit: Tu, Domine, scis, quia non luxuria causâ accipio Sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sacula. Hic ergo maximè locum habere debet illud Apostoli I. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in gloriam DEI facite.* Quòd pulchrè significatur, quòd conjuges, quantum fieri potest, pares esse debeant juxta illud Ovidij: *Si qua voles aptè nubere, nube par;* hoc est: *Willst, daß der Heyrath dir nicht fehl / Mit deines gleichem dich vermähl.* Debet autem hæc paritas in quinque præcipuè capitibus consistere. 1. in Religione; quia experientia ostendit, plerumque Maritos ab alienigenis uxoribus seductos esse, ut in Samsone, Salomone, & aliis patet. 2. In Ætate; alioqui enim pronus in Zelotypiam est lapsus. 3. In divitiis & opibus; hinc ille quæsitus, cur uxorem sine dote elegerit? respondit, ne dotis freno constrictus uxori nupsisse videar. 4. In affectione & assumptione. Hinc DEUS in prima creatione mulieris dixit: *Faciamus ei Adiutorium simile sibi,* ut scilicet uxorem tanquam carnem suam diligat. Hinc

Hinc & Apostolus Eph. 5. ait: *Qui suam uxorem diligit, ipsum diligit, & S. Petrus 1. c. 3. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impotentes honorem tanquam cohæredibus gratiæ & vitæ; quam causam Eva ex costa Adami creata est. 5. In Supplicatione onerū & mutuorū defectuum juxta illud Apostoli Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Hinc Conjuges deberent esse similes duobus illis Anseribus de quibus Simon Majolus in Canicularibus scribit, quod negotia sibi connexi fuerint, ut, si unus ambulabat, alter pedibus in altum erectis ab eo portaretur,

3. Litera H est tantum aspiratio, & si inversa legatur, ab significat; per quod significatur Conjugibus; Statum Matrimoniale rem quidem plenam tribulationibus esse, juxta S. Pauli testimonium 1. Cor. 7. dicentis: *tribulationem in carne habebunt huiusmodi, hinc perpetuo similes lamentationes audiuntur: ah quam malum Maritum aut uxorem habeo: ah quam immorigeros Filios genui: ah quam indodos Famulos sortitus sum! ah quam durum Magistratum, quam ingratos vicinos nactus sum &c. Sed tamen ne in hoc desperent, Christum in medio consistentem effecturum; ab eo enim primum miraculum in nuptiis Canæ Galilee factum ut significaret, se esse, qui aquam tribulationis in vinum lætitiæ convertere possit, & velit. Si ergo sentiant tribulationem ex mutuis defectibus & discordia, meminerint Christum inter ipsos stare & dicere: Pax vobis. Tollite iugum meum super vos, & mementote, vos quemadmodum duos boves iugo alligatos esse, qui, nisi quieti & communi labore iugum portent, frustra se defatigant, & difficultatem portandi oneris graviolem faciunt. Si ex liberorum malis moribus tentationem & molestiam experimini, mementote, quantum Christus erga nos Homines Patris officium exercuerit, & etiamnum exercent, & tamen quam multos habeat ingratos ac immorigeros Filios, ita ut merito illa Isaïæ verba c. 1. 4. surpet: *Filios enutrivit, & ipsi spreverunt me.* Si ex Familæ gravitatem sentitis, imaginemini Christum quasi inter vos stantem & dicentem: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & in venietis requiem animabus vestris.* Verbo: Christus semper in medio vestri sit, sicut olim fuit inter duos Diligentes*

pulos in Emaus euntes, repetereque credatur verba illa: *nōne oportuit hac pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* cur ergo nos aliā via intrare velimus? Sic experiemini aquam tribulationum in vinum gaudij & lætitiæ converti, & non annuuntaxat præsentem, sed totam etiam vitam vestram in felicitate transigeris.

Confirmationis Pars Tertia.

3. Denique Cælibibus & Juvenibus maximè literam S offero, quæ habet Serpentis figuram, ut significem difficultatem & periculum viæ hujus, de qua rectè dixit Salomon Prov. 30. *Trin mibi sunt difficilia, & quartam penitus ignoro, scilicet viam viri in Adolescentia sua.* Quantò ergo periculosior status est, tantò majorem curam adhibere debent, ut vian bonam eligant; quia sicut qui semel in principio itineris viam bonam non eligit, quò magis progreditur, magis errat; ita & ipsi, si statum, ad quem à DEO vocati sunt, non maturè arripiant, à via Justitiæ Christianæ & salutis propriæ magis semper declinabunt. Quæ autem melior via, quàm vita Christi, qui de seipso dixit Jo. 14. *Ego sum via, veritas & vita?* Ah hoc ergo discant 1. bona fundamenta in Juventute ponere; neque tempus inutiliter consumptum putent, etiamsi multos in iis ponendis annos impendere sit opus; habet enim hæc ætas se ut fundamentum, cui tota reliqua vita inniti debet; constat autem, quantum momenti positum sit in iplo fundamento, ex cujus infirmitate totum reliquum ædificium, periculo ruinæ exponitur. Et sanè hoc ipsum experientia quotidiana confirmat; unde enim tam debiles & imperfecti Liberi? tam exiguæ opes? tam infaustæ in Republica expeditiones & administrationes? tam multa in statu Ecclesiastico Scandala exoriuntur? nisi quia liberi statum Conjugij, aut regiminis, aut curæ animarum suscipere coguntur aut permittuntur antè, quàm bona solidaque fundamenta posuerint? Discant ergo hunc errorem corrigere, & ad hoc ipsius Christi exemplum considerent, qui triginta annos voluit huic fundamento ponendo impendere, non quòd ipse tanto tempore egeret, sed ut nos pulcherrimo hoc exemplo ad imitationem provocaret, ac instrueret.

Discant 2. per literam hanc à Christo, in quibus maximè rebus

rebus proficere debeant, scilicet in Sapientia ac Sanctitate. Hæc, hæc sunt duo fundamenta, sine quibus nullus in rebus quam ætatem fructus sperandus est. Hinc Christus nihil aliud de se ab anno duodecimo usque ad trigessimum scribi voluit, ut ostenderet, ad hæc duo omnia alia, quæ à Juvenibus addisci aut exerceri debent, revocari posse. Huc ergo omnis æonatus & labor convertendus, certòque credendum est, non pulchrius aut accommodatius Juveni encomium aut testimonium dari posse, quam si cum Christo profecisse ætate, Sapientia, gratiaque coram DEO & Hominibus dicatur. Illi autem hunc profectum tantò facilius, certiusque acquirant.

Discant 3. Quo potissimum medio proficere debeant, scilicet *subiectione* pariter per literam S indicatâ. Hoc enim medio Christum usum fuisse S. Evangelista Lucas c. 2. testatur illis verbis: *Et erat subditus illis.* Et sanè necessitas hujus medij jam olim Veteres ingeniosè ostendebant, dum Adolescentiam & Juventutem oculis velatis, dextrâ manâ vinctâ, & sinistrâ extensâ pingebant, ut significarent, eorummodi Personas habere semper difficultatem ad bene operandum, esse autem expeditas ad malè agendum, juxta illud Gen. 3. *Sensus & cogitatio hominis in mala prona sunt ab Adolescentia sua.* Sed & cœcum esse propter defectum experientia, atque adeò nisi aliorum consilio se dirigat, nihil effecturam. Certè quàm efficax medium ad proficiendum & crescendum sit Sapientia & Sanctitas Christus ipse quondam pulchrè Virgini, cui pam Religiosæ ostendit, dum eandem in specie patris Pueruli visitavit, cumque ipsa ad portam vocata (Janitrici enim munere fungebatur) mox relicto Christo ad eam properâisset, reversa eundem Christum in specie Juvenis repetitò quærènsque, quomodo tam grandis tempore tam brevi evâsisset, audivit, per ipsius obedientiam tam grandem effectum esse.

Epilogus.

Atque hæc sunt, quæ pro felici novo anno obtinenda consilia occurrerunt, quibus hoc unicum dictum adijcitur. Hoc fac, & vives, quia JESUS erit Salvator tuus, erit Magister tuus, & erit præmiator tuus, in hac quidem vita per benedictio.

tionem copiosam, in altera verò per coronationem gloriosam, quam nobis is propter SS. nomen suum gratiosè concedere dignetur. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione novi anni poterit Concionator alia ejusmodi Xenia aut Strenas Spirituales offerre. Et I. Quidem JESULUM recens natum, vel ejus effigiem. Ein JE. EWS Kindlein. Dicat ergo pro exordio, Varia à variis Xenia offerri, sed quæ plerumque in angulo vel cista recondantur; Se verò daturum tale Xenium, quod semper cupiat ob oculos ipsorum versari, nempe JESULI effigiem, ita tamen ut diversis diversam sit daturus.

Et I. Quidem Clericis dicat auream se offerre, ut meminerint, se dignitate Laicos excedere, sicut aurum alia metalla superat, adeoque in vita quoque Sanctitate ac perfectione eosdem superare studeant. 2. Sicut aurum valde potens est ad humana corda attrahenda splendore suo, ita & illos debere splendore doctrinæ, & bono exemplo vitæ suæ homines ad meliorem viam reducere. 3. Sicut aurum mirè confortat cor, ita ipsos quoque afflictæ & perturbata pectora roborare, & consolari debere.

II. Conjugatis dicat se argenteum JESULUM donare. I. Ut meminerint, sicut argentum longè vilius est auro, ita se quoque Clericis longè inferiores esse, atque adeò debitam reverentiam ipsis exhibere, & per unionem cum illis ornamenta varia accipere debere. 2. Ut studeant valdè puri esse & laves ac nitidi, sicut argentum; quia debent bono exemplo præire domesticis, & quodammodo dicere posse: Quis arguet me de peccato? 3. Ut, sicut per argentum necessaria ordinariè comparantur, ita ipsi sint loco argenti Domesticis suis, & omnia necessaria illis quoad corpus & animam sollicitè & amanter provideant, ita ut aliquando dicere illis possint: Quando vobiscum eramus, numquid aliquid defuit vobis? alioqui verendum erit, illud Apostoli I. Tim. 5. Si quis autem suorum, & maximè Domesticorum curam non habuerit, fidem negavit, & est infideli deterior.

III. Juvenibus & Virginibus dicat se JESULUM ex Cera Virginea offerre, ut inde discant I. potissimum suum studium

um esse debere in candore & puritate mentis & corporis procuranda & conservanda. 2. Ut meminerint, etiam colorum præcipuè rubrum verecundiæ & modestiæ exterioris jungere juxta illud monitum Apostoli Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Quod maximè curandum est, si Christum Amicum habere velint ac protectorem, nam ubi Christus ubi modestia est, teste S. Gregorio Nazianzeno. Hinc S. Elia mundo apprensus dixit, se lateri ejus in Schola adherere. 3. Ut meminerint, sicut imago cerea fragilis est, ita suam quoque ætatem ac statum infirmam, & ruinæ expositam esse, ideoque diligenter se custodiant, & non multùm vagentur foras, maximè inter pericula, ne pulverem & Sordes animi contrahant & JESULUM quoque suum deperdant.

IV. *Famulis & Ancillis* ligneum JESULUM se offerre debeat, ut meminerint 1. se in infimo gradu esse, atque adeò humiliter se cum Christo qui propter ipsos formam servi assumpsit, subjiciant, & perfectæ obedientiæ studeant. 2. Ut bene ponderent pro sua consolatione, sicut, etiam si JESULUS effigies lignæ; cedat auræ & argenti quoad materiam, non tamen est minori honore digna, quàm auræ, imò miraculosa Christi imagines plerumque lignæ sunt; ita nec se apud DEUM & Sanctos minoris meriti & æstimationis fore, si JESULUM per veram obedientiam & humilitatem repræsentent. Itaque sint contenti suo statu, & sibi applicent illud Siracidis consilium c. 11. *Confide in DEO, & mane in terra, facile est enim in oculis Domini, subire honestare pauperem.* Talis sanè & tantis quisque est, qualis & quantus est apud DEUM, dixit humilis S. Franciscus.

V. In Epilogo hortetur, ut boni consulant hoc donum in memoria vivaciter teneant, & sicut olim Judæi in tristitia vel tribulatione constituti dicebant ad se invicem: *Eamus ad JESUM Filium MARIÆ, ut hilares fiamus;* ita & ipsi in omnibus suis necessitatibus ad suum JESULUM confugiant, tantò copiosius experturi auxilium, quantò magis se contra ipsum fiducia se extenderit.

Conceptus Secundus.

Ex eadem occasione poterit dicere, se pro Xenio oblatum

rum *literas censuales*, quas si habuerint, & retinuerint, nihil ipsis sit defuturum toto anno. imò per totam vitam. In propositione dicat, has literas non esse alias, quàm sententiam illam: *Quarite primum regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis*; hanc quippe sententiam habere omnes condiciones, quæ in literis censualibus optari possunt.

Nam 1. *Pauca exigunt, & multa promittunt*; nam pollicentur omnia, quæ ad sustentationem corporis & animæ sunt necessaria; exigunt autem solam scilicet Mandatorum divinorum observationem; atqui mandata ejus gravia non sunt, teste S. Joanne 1. Jo. 5. & ipsemet dixit, *Iugum suum suave esse, & onus suum leve*. Matth. 11.

2. *Septem sèmissimis sigillis sunt munita & confirmata*, septem scilicet titulis, quos DEUS in iusto reperitur exigere, ut ei necessaria non neget; nempe quòd sit Creatura, Homo, Christianus, Servus, Amicus, Filius, Sponsa; si ergo lilia & aves sic pascit, quantò magis Hominem, Amicum, Filium &c.

3. *Qui eas dedit, potens est dare, quod promisit, quia omnipotens est; & vult stare promissis, quia fidelissimus est, & fallere non potest.* Et verò etiam experientia id satis confirmavit in Israëlitis per conturnices, manna, aquam ex Silice, Elie panes à Corvo allatos: In Apostolis item & Eremitis novi Testamenti, ita ut meritò dixerit S. David Ps. 36. *In iustis suis, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem,*

4. In Epilogo animentur omnes ad literas has censuales diligenter asservandas, & liberis etiam commendandas; caveant verò, ne vel eas lacerent per peccatum veniale, vel omnino eas per mortale peccatum amittant & destruant, sed potius de illis sibi dictum parent, quod Salomon Prov. 4. suavit: *Omni custodia serva cor tuum (& literas has tuas) quoniam ex ipso vita procedit*, id est, felicitas tua oritur, nam & hic tibi temporalia, & ibi æterna bona adicientur.

Conceptus Tertius.

Non incommodè poterit etiam pro Xenio Spirituali Horologium offerri; sicut enim sine Horologio materiali tota *Instruct. VII.*

X

Respu-

Respublica difficulter bene administratur (unde Carolus Quintus ex ejus bona vel mala directione bonum vel malum statum alicujus Civitatis collegit) ita multo magis ex horologio Spirituali animæ omnis bona administratio & felicitas animæ dependet.

Dicat ergo Concionator hoc horologium nihil aliud esse, quam ipsam vitam cujusque rectè & ordinatè institutam. Sicut enim Horologium tribus præcipuè partibus constat Indice & hora distincta, æquilibrio & rotis mobilibus (*Wruhe*) & ponderibus, ita pariter hæc tria ad vitam rectè ordinandam requiruntur.

Nam 1. Sicut Index, ut horas ritè indicet, debet non voluntatem Directoris, sed solis cursum & motum sequi; ita vita quoque nostra, ut ordinatè & rectè instituat, non secudum propriam cujusque hominis voluntatem, sed juxta Dei seu Solis Justitiæ beneplacitum actiones quotidianas velut horas per bonam intentionem velut *Indicem* designare & implere debet. In his enim quotidianis actionibus rectè obeundis tota cujusque hominis perfectio consistit, ut communiter docent Ascetæ. Hinc S. Augustinus in Pl. 150, ait: *Via semper laudare (& amare) DEVM: bene fac omnia, quæ facis, & laudasti semper (ac amasti) DEVM.* Et hæc perfectio omnibus communis est, ad quem Christus Matth. 23. invitavit dicens: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est;* id est, sicut ille omnia, quæ fecit, fecit valde bona, ita & vos omnia, quæ agitis, perfectè facere studete; neque enim ad hoc requiritur rigor pœnitentiæ, cum vita quotidiana sit optima pœnitentia, ut rectè quondam Joannes Berchmannus è Societate JESU dicebat: Sed nec spatia producta orationis exiguntur, quia, *qui conservat legem, multiplicat orationem.* teste Siracide Eccl. 35: nec abstinencia à rebus mundanis, sed tantum ut suam quisque Personam, suasque actiones quotidianas rectè obeat.

2. Per rotulas & æquilibrio potentia animæ tam internæ (videlicet memoria, Intellectus, & voluntas) quam externæ quinque sensuum & potentia loco motiva intelliguntur; hæ enim omnes nisi conspirent, omnia confusè & horâsque confusè & perversè Index indicabit. Hinc DEUS præcepit: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde*

anima

anima, viribus, & fortitudine &c. Et Ecclesiasticus hortatur c. 33. In omnibus operibus tuis praececellens esto. Bene notandum tamen, quod plurimum in libramento (der Wruhe) per quod discretio intelligitur, sit positura, uti bene S. Bernardus advertit, dum dixit: Tolle discretionem, & virtus iam non virtus, sed vitium erit; haec enim omni Virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert, estque non tam virtus, quam quaedam Moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum.

3. Et potissimum pondus in horologio requiritur, per quod amor DEI intelligitur juxta S. Augustini testimonium dicentis: Amor meus, pondus meum; hoc seror, quocumque feror. Quasi dicere voluerit, bene quidem fieri, si actiones nostrae propter praemium peragantur, sed incomparabiliter melius, si propter amorem DEI suscipiantur; sicut enim plumbum ab auro, ita actio ob praemium ab actione propter amorem DEI peracta superatur. Hinc tantopere DEUS semper amorem commendavit, praecipue Cant. 8. Pone me ut signaculum super brachium tuum, ut tam desideria, quam opera ad mei amorem ac beneplacitum dirigantur.

4. In Epilogo hortetur, ut non modò hoc horologium benevolè suscipiant, sed etiam benè dirigere studeant, eumque in finem illam S. Petri Damiani sententiam sibi dictam putent: Noverit significator horarum, quia nulla magis in Monasterio (& homine) quovis est oblivio fugienda; si enim articulum suum cuiusvis Synaxis hora vel praeventa, vel dilata non teneat, omnem procul dubie subsequentium horarum ordinem turbat. Quia verò ut roculæ bene officium suum obeant, saepius unguendæ sunt, ideo unctionem istam per frequentem orationis & Sacramentorum usum, quibus gratia divina impetratur, perficiant, sic enim futurum est, ut & in hac vita bonus Reipublicæ status sit futurus, & melior olim in altera securus.

Conceptus Quartus.

Aliàs poterit dicere, se quidem hoc anno nullum Xenium oblaturum, sed tamen artem docturum, quâ Xenium sibi gratissimum & utilissimum conficere queant, nempe aurum verissimum, & praestantissimum & copiosissimum.

In prima ergo parte probet opera bona esse optimum & rarissimum aurum juxta illud S. Bernardi in S. de Sexag. *Præres si divites esse cupitis, veras divitias amate. Sola vera divitia sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt.* In specie vero id ipsum probet ex tribus virtutibus seu effectibus autem.

1. Quia sicut aurum valdè conducit ad DEUM Sanctosque honorandos (si ad eorum honorem aurea vasa & similia fieri pro templis jubeantur) & amicos conciliandos; ita multo magis eundem finem per opera bona obtinemus, cum juxta communem sensum Doctorum, pulcherrimus & gratissimus DEI & Sanctorum cultus sit vita. 2. Quia sicut auro obediunt omnia, idèoque ad omnia emenda est utile; ita bona opera, & pietas, quæ per ea exercetur, ad omnia utilis est, testatur S. Paulo 1. Tim. 4 Et S. Joanne dicente 1. Jo. 3. *Si confitrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* 3. Quia miranda debet virtutem ad cor confortandum; ita multo magis citroborant opera bona, ante mortem (quia *secura mens quasi iuge convivium* Prov. 15.) in morte (quia gaudetis semper vespere, si diem infumas fructuosè) post mortem, quia opera illorum sequuntur eos. Apoc. 14. sicut S. Barlaam pulchre per parabolam trium Amicorum declaravit, quorum primus tantum vestem obtulit, alter ad fores & domum Judicis comitatus est, tertius in ipso judicio defendit, uti fusiùs in Spec. Extitit. Amicus ex 1. videre est.

In 2. parte ostendat, quid requiratur ad hoc aurum faciendum, nempe 1. *Fornax*, (id est, cor juxta illud Matth. 19. *De corde exeunt cogitationes &c.*) & *ignis caritatis*, cujus necessitatem S. Paulus 1. Cor. 13. indicavit, dum dixit: *Si abstulerboero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hinc ante quodvis opus principale claudendum: *Veni S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & in nobis amoris ignem accende.* 2. *Materia apta*: qualis sunt actiones bonæ aut saltem indifferentes, non autem actiones prohibita; alioqui audiretur illud 1. Reg. 15. *Numquid vis Dominus holocausta & victimas, & non potius, ut obediat voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victima.* 3. *Opus Philosophicum*, Elixir ab aliis dictus ab aliis alia nominatum.

accipiens, per quem Christus intelligitur, tum ut ad illum tanquam causam exemplarem respiciamus, & imitemur; tum ut ad illum tanquam causam efficientem & cooperantem confugiamus, cum dixerit Jo. 15. *Sine me nihil potestis facere*; tum denique ut ad illum tanquam causam finalem actiones nostras per bonam intentionem dirigamus.

In Epilogo hortetur ad artem hanc exercendam illis Christi verbis Matth. 6. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra &c. Thesaurizate autem vobis thesauros in calo, ubi neque arugo, neque tinea demolitur, & ubi Fures non effodiunt, nec furantur.* Sed & Liberos suos doceant usurpantes illa Tobiae Senioris verba Tob. 4. *Nolite timere, Filii mei, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEVM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene, nam & hic sustentationem necessariam, & ibi aeternam beatitudinem habebimus.*

Conceptus Quintus.

Simili modo poterit pro Xenio caput Jani offerre, diceretur in Exordio, ideo à Januario annum novum inchoari, ut indicetur eos, qui annum talem felicem habere cupiunt, caput Jani duas facies habentis assumere, & uno quidem ad praeterita respicere, altero futura providere, & ex illis vitam suam Sapienter ordinare debere, quemadmodum Rex Janus fecit, qui ob eam causam cum duobus capitibus pingitur.

1. Ergo dicat illius faciei, quae praeterita respicere debemus, oculo dextro beneficia à DEO anno Superiore accepta nos intueri debere, nam, teste Cassiodoro, *iugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium semper ob oculos assistit*; è contrario verò, ut benè S. Bernardus advertit, *gratiarum cessat Discursus, ubi recursus non fuerit; nec modo nihil augetur ingrato, sed etiam in perniciem vertitur*; nam, quantum majora sunt hominibus beneficia constituta, tantò peccantibus graviora judicia sunt praeparata. Imitari ergo debemus flumina ad locum, unde exeunt, revertentia, ut iterum fluant, diceretur cum Davide Ps. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivesci omnes retributiones eius &c.* Sinister verò oculus ad praeterita peccata conijciendus, atque in memoriam

illa S. Pauli sententia revocanda Rom. 6. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Imitandus proinde Filius prodigus, dicendumque cū eo: *Pater, peccavi in cælis, & corā te &c.* quia peccavi in conspectu tuo post fidē toties datā post veniā toties obtentā, hodie, ō Christe, primò sanguinē fudit, ergo per hunc ampliùs lava me, & à peccato meo munda me. Hodie nomen JESU & titulum Salvatoris nactus es, ergo propter nomen Sanctum tuum esto mihi JESUS, & Salva me. Hodie primum vulnus accepisti; per illud ergo rogo te, ut cures vulnera animæ meæ, & facias me sincerè servire tibi. Hodie legem sponte implevisti; ah offer aternò Patri hanc observationem pro transgressionibus meis, & doce me facere voluntatem tuam. Nunc tandem agnosco, quàm verè sit dictum? Vanitas, præter amare te, & tibi soli servire. Sed te amavi, ō pulchritudo tam antiqua & nova; serò te amavi. Dixi, nunc cœpi. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Confirma, quod operatus es in me.

2. Alterius faciei, quā futura respicenda sunt, oculus dexter ad futuras actiones ut bene ordinentur, convertendus est. Hoc ut efficacius præstemus, tria observanda sunt. 1. Ut tempus magni æstimemus, imaginemurque nobis illud esse thesaurum quasi apertum, ex quo, quamdiu vivimus, exportare possumus, quantum volumus meritorum cœlestium, atque adeò illud Ecclesiastici c. 14. dictum nobis de eo credamus: *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* 2. Ut bene observemus conditiones ad opus meritorium requisitas; neque difficile hoc credamus, si ad præmium propositum oculos reflectamus; quis enim Operarius hæc omnia & plura non libenter & facilè præstaret, si pro quovis motu aureus nummus illi promitteretur? quanto faciliùs ergo erit hæc præstare, si gradum gratiæ & gloriæ omnino thesauro terreno pretiosiorē pro quovis opere promissum credamus. 3. Est, ut easdem nostras actiones bene etiam applicare studeamus, & exemplo SS. Joachim & Annæ in tres partes dividamus, & primam quidem, id est, fructum honoris & laudis DEO tribuamus, alteram, nempe fructum meritorium nobis servemus; tertiam denique, videlicet fructum Satisfactorium & impetratorium pauperibus, tam viventibus quàm defunctis transcribamus. Sinister oculus

ad ea, quæ patienda sunt, convertendus, ubi iterum tria præstanda. 1. Ut certò nobis persuadeamus, debere omnes nos per multas tribulationes introire in regnum DEI. 2. Ut bene artem patiendi discamus, quæ in hoc consistit, ut patienter, libenter, & alacriter patiamur. 3. Ut semper myrothecium paratum in memoria habeamus, quo vel per considerationem Christi vel memoriam infernalium pœnarum, vel cælestium gaudiorum spem nos roboremus, & ad patientiam excitemus.

In Epilogo dicat: *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dios videre bonos.* Pl. 33. *declina à Malo, & fac bonum &c.* Eum in finem audiamus consilium Salomonis Prov. 3. dicentis: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum;* offeramus ergo hodie has primitias, & i. gratias cum S. David agamus dicentes: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi &c.* Pl. 115. 2. Cum servo Evangelico Matth. 18 dicamus: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* 3. Cum eodem S. Davide Pl. 76. dicamus: *Dixi, nunc cœpi.* Sic novum annum feliciter inchoabimus, feliciter continuabimus, & feliciter finiemus, & post plures annos simili modo absolutos annum felicissimum æternitatis inchoare merebimur, quem nobis concedat &c.

Conceptus Sextus.

Ad eundem finem poterit ei Cultellus Lapidus, quo Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis Personis offerre.

In Exordio itaque dicat, varias à variis causas offerri, cur Christus circumcisci voluerit, optimam tamen videri, quòd, sicut legem veterem abrogavit, novamque perfectiorem substituit; ita & circumcisionem materialem seu carnalem in Spiritualem longè præstantiorem & utiliorem mutaret. Ut ergo & Auditores hanc ritè & cum magno fructu peragere queant, se cultellum, quo Christus circumciscus est, pro Xenio oblaturum, & quomodo variæ Personæ eo uti debeant, ostensurum.

1. Ergo dicat se eum Clericis offerre, ut eodem partim domi abscondant, quidquid ipsorum altissimum statum minus decere potest, sicque impleant S. Augustini saluberrimum

monitum dicentis: *In omnibus moribus vestris nihil reperitur, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem.* Partim ut publicè refecent in Concionibus in utilia germina vitiorum, quæ suis subditis speciatim nocere possunt; ipsi enim hujus vineæ cura commissa est, quam ratio diligentius colere debent, quantò majorem debebunt redere rationem, si negligant: & quantò præstantius vinum solidæ consolationis sperare poterunt, si accuratè eam excolant.

2. Dicat, eundem cultellum se Magistratui offerre, ut eo respectu Reipublicæ sibi commissæ utatur velut *Medicus respectu corporis*, præcipuè autem, ut refecet putrida membra, quæ totum corpus inficere possunt, qualia sunt Hæretici, Judæi, Fures, Latrones, Usurarij, Meretrices &c. Deinde ut eodem ulcera Sanorum membrorum, id est, graviora scelera subditorum incidant, ne magis crescendo gravia damna Reipublicæ creent. Item ut eodem dividant, quæ juxta Justitiam distributivam dividere oportet. Quæ omnia tantò accuratius servare debent, quantò majus & præstantius Reipublicæ corpus est, quantòque adeò majorem vel honorem & præmium, vel dedecus & pœnam sperare vel timere possunt, si bene vel malè Medici officio fungantur, si enim Socrates de quovis Medico dixit: *Honora Medicum propter necessitatem* c. 38. quantò magis illum, qui tam ampli & pretiosi corporis sedulam curam gerit, honorare ac præmiare oportebit?

3. Dicat, se eundem Patribus familias offerre, ut *Domesticos* suos velut *arbores* intueantur, & ab iis inutiles ramos præcidant, eorum maximè vitiorum, quæ domesticæ disciplinæ pacique obesse possunt, qualia sunt tepor in orationis studio, inobedientia, discordia, scurrilitas, otium, impudicitia, Fidelitatis neglectus &c. quæ omnia tantò diligentius præscindere oportet, quantò uberius ab his arboribus fructus non in ipsos duntaxat Patres familias, eorumque subditos, sed totam etiam Rempublicam, & tam militantem, quam erumpentem Ecclesiam redundaturus sperari potest. Hinc Christus tam gravibus verbis ad hanc Curam excitat, dum 1. Tim. 5. dicit: *Si quis suorum, & domesticorum maximè curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

4. Dicat, se eundem cuivis privatae Personae offerre, ut se ipsam *velut hortum* consideret, cujus areolae sunt potentiae, flores vero actiones virtuosae, quae à potentiis oriuntur, & à DEO, Caelitibusque cum voluptate decerpuntur. Quia vero plerumque Spuria vitulamina se immiscunt, qualia sunt vana gloria, foecordia, amor proprius, sensualitas, tepiditas, immanuetudo, impatientia, inconstantia, ideò perpetuo cultro opus est, quo ejusmodi germina praecidantur, ne humorem bonum gratiae divinae, & fervoris exugant, & hujus defectu flores exarescere faciant. Ad hoc nos hortatur S. Paulus? Cor. 4. dicens: *Semper mortificationem IESU in corpore nostro circumferentes &c.* quia, ut Sapienter S. Bernardus S. 58. super Cant. advertit, *parum est, semel putasse, saepe putandum est; imò, si fieri potest, semper; semper enim, quod putari potest, si non dissimulas, invenies.*

Pro Epilogo hortetur, ut non modò benevolè hunc cultrum accipiant, sed etiam studiosè urantur, eumque in finem illa DEI verba Jer. 4. sibi dicta putent: *Circumcidimini Domino, & auferite praeputia cordium vestrorum viri Iuda, & habitatores Ierusalem, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat.* Sed & qui vis circumcisionem circa se faciendam æquo & alacri animo admittat, credens de se quoque dictum illud Act. 15. *Quia, nisi circumcidamini, non potestis salvari;* nam sicut Christus nomen suum per circumcisionem obtinere debuit, ita & nos salutem per idem medium spiritualiter applicatum obtinere debemus, quod nobis concedat &c.

Conceptus Septimus.

Poterit etiam utiliter duos annulos, & cum iis aeternitatis tam miseræ, quàm felicitis memoria pro Xenio offerri.

In Exordio itaque dicat, olim Apud Romanos nemini concessum fuisse alium annulum, quàm ferreum portare; postea vero etiam aurei usum conceptum fuisse, sed solis nobilibus (unde postmodum magnitudo victoriae ab Hannibale apud Canas reportatae ex eo conijciebatur, quod aliquot modij aureorum annulorum collecti sint ex funeribus nobilium Romanorum,) se tamen optare, ut sui Auditores omnes utrumque talem annulum portent, & per ferreum quidem aeternitatis

tis miseræ Damnatorum; per aureum verò æternitatis felicissimæ Beatorum memoriam refrigerent; vix enim explicari posse, quantopere conducatur hæc memoria ad vitam Sancti instituendam; cuius rei clarum exemplum in S. Davide habemus, qui, cum Pl. 26. dixisset, *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*; mox effectum subiungit: *Excitabam, & scopebam spiritum meum*. Sed & Miles ille captus est, cui Alexander Magnus annulum dederat eâ legem portandum, ut æternitatis meminisset; vix enim eum portare inceperat, & totus mutatus est. Ut ergo & ipsi Auditores similem fructum referant, dicat, se ostensurum, quàm efficaces sint suprâ descripti annuli ad hunc finem obtinendum, & quomodo iisdem uti debeant.

In propositione ergo dicat, varias olim fuisse Philosophorum sententias circa quæstionem, quâ quærebatur, in qua sapientia & perfectio Hominis consisteret? Sed in hac controversia optimè & brevissimè sensum suum explicasse Epictetum, dum sapientiam in duobus vocibus istis: *abstine, & sustine*: consistere dixit; nam, ut S. Augustinus etiam advertebat, nihil æquè nos impedit à profectu, & quàm malè ardens cupiditas, aut malè jacens timiditas. *Omnia peccata, ait Pl. 79. dua res faciunt in homine, cupiditas & timor*. *Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, per scrutamini conscientias, videre, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo*. Contra hæc autem duo impedimenta vel maximè hi duo annuli defendunt.

In primo ergo annulo dicat scripta esse hæc verba: *Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat*. *Was wohl thut / währt ein kleine Zeit: Was weh thut / währt in Ewigkeit*. Hanc ergo sententiam aspicere & legere debemus, quoties ad illicitas voluptates allicimur. Quem enim non absterreat hæc cogitatio? quis ignea in crate vel fornace per medium duntaxat quadrantem torreri vellet, ut quantacunque huius Mundi voluptate frueretur? quanto minùs ergo eam appetet, ut æternis ignibus uratur? Ita sane extinxit libidinis flammam Monachus ille, qui ad luxuriam provocatus digitum candelæ applicuit dicens: *Videamus priùs, quàm consentiamus; an æternos ignes possimus sustinere*? Sed & Falco famosus Peccator hæc consideratione con-

versus est, dum noctu dormire non potens hanc cogitationem concepit: Ecce in molli lecto jacens tantam molestiam ex insomnia pateris, quid acciperes, ut per totam æternitatem tali modo jaceres? Sanè non omnes mundi voluptates. Quantum minus eas accipere deberes, ut etiam cruciareris, & quidem tam horrendè in æternis ignibus? Et sanè si cruciatus non forent, sola privatio gloriæ etiam sufficeret ad hanc abstinentiam obtinendam; si enim Famelicus ad convivium magni Domini vocatus libenter & facilè per breve tempus famem patitur, & mucido pane abstinet; an homini ad æterna gaudia invitato difficile esse poterit, per modicum vitæ tempus voluptatibus abstinere? Ita sanè S. Silvanus se animabat, quando ad aliquid delectabile aspiciendum incitabatur; sic enim oculos alloquebatur: Claudamini oculi mei, claudamini, & ad meliora vos gaudia reservate. Simili ergo modo se quisvis in simili tentatione aut alia constitutus alloqui deberet. Nec dicas posse te nihilominus æternam felicitatem obtinere, si scilicet in vitæ sine pœnitentiam agas; nam, ut omnia alia argumenta taceam, quibus plerumque hæc stulta & noxia præsumptio refutatur, hoc unum dico, nimis incertum esse, an pœnitentiam hanc acturus sis; nulla autem satis magna securitas est, ubi æternitas periclitatur.

In altero annulo dicat hæc verba esse scripta: *Momentaneum, quod cruciat: aeternum, quod delectat. Was wehe thut/wehrt ein fleine Zeit: Was wohl thut/wird in Ewigkeit.* Huncque annulum aspiciendum esse, quoties in gravem aliquam adversitatem incidimus. Ita sanè Mater Machabæorum Filium suum animabat dicens 2. Mach. 7. *Peto, Nate, ut aspicias ad caelum & ad terram, & ad omnia, qua in eis sunt, ita fiet, ut non timeas Carnificem istum. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis, teste S. Paulo Rom. 8. Et, ut S. Hieronymus dixit: Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria aeternitatis emitur.* Si enim Jacobo Patriarchæ tot anni in durissimis laboribus exacti visi fuerunt breves præ amoris in Rachelem magnitudine; quidni breviores nobis accident quancunque anni, ut fruamur pulchritudine infinita DEI? si Diabolus ipse olim confessus dicitur, se libenter omnia Damnatorum tormenta toleraturum usque ad iudicii diem, si unico

unico momento DEUM aspiciere permitteretur, quid nos non libenter tolerabimus, ut æternum aspiciere eum possimus, O quàm bene S. Bernardus dixit: *Vitam sapient & intelligerent, & novissima providerent, ut aternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut presentia moderemur, præterita per intelligentiam iudicemus, & novissima provideamus per caritatem.*

Pro Epilogo hortetur, ut duos hos annulos tanquam singulare donum non tam à se, quàm à DEO accipiant, ut quæ jam olim P. Christophorum Carum Societatis JESU Presbyterum iusserit hæc pauca verba assiduò voluere: *O æternum! O momentaneum! O longum! O breve!* Hæc ergo & ipsi voluant, & secundum illa vitam ordinent. Eum in finem audiunt S. Bernardum l. 15. ad Clerum dicentem: *Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque velut aternitatis semina iaciuntur. Quale semen sparseris, tale & cresces.* Claudat denique concionem salutaribus illis versibus:

*D Ewigkeit / O Ewigkeit /
Wie bist so lang vnd breit!
Betracht O Mensch die Ewigkeit /
Freud ewig / ewig leyd.
Wilst ewig verntenden /
Das ewige leyden /
Wilst ewig nicht schenden /
Von ewigen Freuden /
Betracht die Ewigkeit.*

Conceptus Octavus.

Non in gratum quoque Auditoribus Xenium futurum esse, si Calendarium spirituale illis offerat. Itaque pro exordio dicat, varia quidem hoc tempore Calendaria pro Xenio ab Astrologis & Typographis offerri, sed quæ ob fallaciam & falsitatem suam plerumque plus indignationis & detrimenti quàm utilitatis & solatii afferant; se proinde gratus Calendarium illis oblaturum, utpote in quo non nisi certissima quæque, & optima prædicantur, quòdque non ab Homine confectum, sed ab ipso DEO dictatum fuerit.

In propositione postea narret, quod aliquando S. Catharina Senensi evenit, dum Christum rogavit, ut viam ostenderet ei.

redignaretur, quã ad veram animæ pacem pervenire posset, audivitque ab eo, pacem hanc non aliter, quàm per voluntatis suæ cum divina perfectam conformationem obtineri; ut autem hanc conformationem tantò facilius obtineat, Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem DEI infinitam ab eo assiduò ponderari, & firmiter credi debere.

Hæc narratione præmissâ dicat, totum Calendarium duabus propositionibus constare, quarum prima est: *Nihil accideri cuiquam potest sine DEI permissione*; si enim Diaboli olim in porcos introire non poterant, priusquam à Christo id permitteretur, quantò minùs homines vexare quisquam poterit sine voluntate DEI? Hinc meritò idem Christus Pilato dixit Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super.* Et iterum Matth. 10. *Nónne duo passeressesse videntur? Sed unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem capilli omnes numerati sunt.* Altera est: *Omne, quod accidit, optimum est cuique, quia*, teste S. Paulo Rom. 8. *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum.* Hinc meritò Josephus Patriarcha Fratribus suis dixit Gen. 50. *Nolite timere; num DEI possumus resistere voluntati? vos cogitâstis de me malum; sed DEVS vertit illud in bonum.* Et S. Chrysostomus: *Quid timet homo in sinu DEI positus? Tu de ipsis sinu noli evadere; & quidquid tibi ibi venerit, in bonum cedet.*

Pro praxi hujus Calendarii hortetur, ut, quoties sollicitudo aliqua aut timor illis subortus fuerit, ad hoc Calendarium confugiant exemplo Christi, qui in agonia positus, ubi Calendarium hoc inspexit, viditque suum calicem ex voluntate Patris oblatum, & ipsius paterna manu præparatum esse, mox adeò roboratus est, ut ultrò ad illum ebibendum hostibus obviam processerit. Simili ergo modo, ut illi se gerant, suadeat, atque ut cum Heli assiduò dicant: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Et cum Davide: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Et cum Job: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Sic enim verificatum iri in illis, quod Salomon c. 12. Prov. dixit: *Non contristabit inustum, quidquid ei acciderit.*

Conceptus Nonus.

Denique dicere poterit Concionator, varias hoc tempore stre-

re strenas & xenia offerri, se cor novum optare, eò quòd hoc ad novum & felicem annum præ cæteris conducatur. Hoc itaque se cum felici anno sic precari, ut tamen simul etiam ad illud procurandum juvare paratus sit. Eum in finem offerre se imaginem, in qua Christus juxta fornacem Fabri Petri consistens, & cor quoddam in igne calefaciens depictus sit cum hoc Lemmate: *Ecce nova facio omnia*. Juxta illum verò anima cor suum offerens, & dicens: *Paratum cor meum, DEVS, paratum cor meum*. Pro hac imagine explicanda dicat, se tria dicturum. 1. Quid sit cor novum. 2. Quomodo hoc conducatur ad felicem annum obtinendum. 3. Quomodo tale cor obtinere possimus.

Pro prima ergo parte dicat, Cor semper à DEO summissimum fuisse; hinc præ reliquis illud petivit Prov. 23. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi*. & Prov. 4. *Omni custodia serva cor tuum*. Cur autem tanti faciat, causam mox subdit: *Quia ex ipso vita procedit*, non corporalis tantum, sed spiritalis etiam, id est, amor, qui ibi Sedem fixit. Hinc etiam teste Davide Ps. 32. *finxit singillatim corda eorum*, nempe triangulari faciendo, ut ostenderet, non per rotundum mundum, sed solam Trinitatem id repleti posse: inferius acuminando, & superius dilatando, ut innueret illud per amorem non plus terram & terrestria appetere debere, quam quantum ad necessitatem sustentationis requiritur, erga cælum verò & cælestia latissimè patere debere: sed & duos motus attractionis & expulsionis ei constituendo, ut per illos intelligat, sibi per amorem omnes creaturas expellendas, solum verò DEUM tanquam vitalem auram attrahendum esse. Ex quibus facile colligitur, quid sit cor novum, scilicet cor novo DEI amore accensum, seu efficaci proposito instructum, DEUM ex corde diligendi, & omnia quidem peccata studiosè devitandi, opera verò bona cum simili studio exercendi. Quale S. David habebat, de quo ipse DEUS testatus est Ps. 88. *Inveni David servum meum; virum secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas*. Act. 13.

Pro secunda parte dicat, hoc cor esse optimum medium ad felicem annum obtinendum; quid enim est bonus annus, nisi in quo jucundè vivimus, & omnia juxta voluntatem habebimus; atqui talem annum habebit cor novum, & cum corde
DEI

DEI conformatum. Habet enim inprimis spem omnis provisionis & benedictionis in rebus necessarijs corporis & animæ; si enim timentibus DEUM non est inopia, quanto minus amantibus illum deesse quidquam patietur? Deinde nihil ex adversis eum contristatur, uti Salomon Prov. 12. testatur, id quod David Ps. 36. egregiè confirmat dicens: *Accedet homo ad cor altum* (id est, cordi DEI confirmatum) & *exaltabitur DEVS. Sagitta parvulorum facta sunt plage eorum.* Nimirum in tali verificatur id, quod Ps. 88. DEUS ipse dixit: *Olas sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.*

Pro tertia parte, quomodo scilicet cor novum obtineri possit, dicat, melius id fieri non posse, quam si illud Artifici, qui illud fecit, restituatur, nempe Christo, qui fecit singillatim corda eorum, qui, uti Salomon Prov. 21. ait, quocumque voluerit, inclinabit illud? Ad hunc ergo properet, qui cor novum habere cupit. Hunc audiat dicentem Prov. 23. *Præbe, Fili mi. cor tuum mihi. Ecce nova facio omnia.* Est proinde, qui cor peccatis & voluptatibus affixum habet, is audiat Ezechielem c. 18. imponentem: *Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Proiicite à vobis omnes pravitationes vestras, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Est, qui durum cor se habere advertit, audiat & iste Christum per eundem Prophetam c. 36. promittentem: *Et dabo vobis cor novum & spiritum novum in medio vestri, & auferam cor lapideum.* Est, qui cor frigidum habet, accedat ad Christum, & cor ardens, sicut Discipuli in Emaus recipiet. Est, qui obscuratum cor habet, accedat cum recto corde, & illuminabitur, experieturque, quod Ps. 96. dixit: *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.*

Pro Epilogo dicat, se renovare votum suum illis verbis 2. Mach. 1. *Benefaciat vobis DEVS, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* Quia verò etiam nostra cooperatio requiritur, suadeat omnibus, ut accedant ad præsepe, & dicant cum vernaculo Poëta:

Begrüßt seyßt du / O Jesulein /
Schöns Kindelein.

Nimm

Nimm hin mein Herz / gib mir das dein /
 Laß beyde Herzen ein Herz seyn.
 Was dir mißfalle / mißfall auch mir /
 Auch mir gefall / was gfallt dir.
 Der Will ist gut / gib du das Werk.
 Und mich mit deiner Allmacht stard.

Tunc verè dicent cum Davide Pl. 72. *Defecit caro mea & cor meum: DEVS cordis mei, & pars mea in æternum.* Tunc dicent cum S. Paulo Gal. 2. *Vivo autem iam non ego; vivit cor in me Christus.* Tunc quoque dicent cum S. Bernardo in júbilo: *Iam, quod quæsi vi, video: quod concupi vi, teneo: amore IESU langueo, & corde totus ardeo.* Ite ergo, lætantes, exultate, & dicite: Nunc cœpi. Hæc est mutatio dextræ cæli, cui sit honor & gloria in sæcula. Amen.

CAPUT IX.

DE PRAXI CONCIONES PASCHALES
HABENDI.

Sicut hoc tempus Paschale ob mysterij, quod recolitur, festivitatem meritò ab Ecclesia magna cum lætitia, júbiloque peragitur; ita solemniores quoque & magis festivæ, atque ad lætitiã ac hilaritatem excitantes conciones expectantur. Eum in finem aliqui Concionatores tempori ac ceremoniis tunc adhiberi solitis, maximè ovorum benedictioni se accommodantes, ova paschalia spiritualia suis Auditoribus offerunt, & cum his varias doctrinas ad vitam perfectiùs deinceps instituendam conducente suggerunt. Alij morem multorum, nescio ubi aut quomodo iunctum secuti Tabellam Paschalem (*ein Ostermährlein*) narrant, & ex eo occasionem sumunt, doctrinas aliquas spirituales suggerendi. Quam geminam consuetudinem, cum à Zelois etiam & prudentibus Concinatoribus usurpatam fuisse sciam, improbare non audeo; id unum tamen diligenter observandum censeo, ac cavendum, ne ejusmodi Tabellæ magnam partem concionis occupent, aut tam ridiculæ sint, ut ad effusionem risum Auditores concitare queant, sicque & gravitatem & fructum concionis destruant. Ut etiam in hac materia Novitius Concinator Ideam habeat, placuit utriusque hujus
 confite.